INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM QUAE IN PLERISQUE ACTIS IN HOC VOLUMINE CONTENTIS ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN SINGULIS ACTIS AMPLE EXPOSITA VEL DECLARATA REPERITUR.

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur:

Coadiutor.
Consuetudo quoad cultum divinum.
Matrimonium.
Matrimonium quoad domicilium.
Pacta.
Tertiariae franciscanae.

Coadiutor

Coadiutoria, Suffraganeatus, aut auxiliaratus Episcopo in spiritualibus datus ab Apostolica Sede, cessat per mortem coadiuti, quoties officium hoc, modo temporaneo constitutum fuit. *pag.* 341.

Coadiutoria vero perpetua cum futura successione haud expirat per coadiuti obitum; sed potius transit in plenum ius: siquidem coadiutor cum vi perpetuae coadiutoriae ius ad rem haberet, donec coadiutus in vivis ageret, post eiusdem obitum ius plenum in re consequitur. *ibid.*

Coadiutoria seu auxiliaratus perpetuus pro Sedibus episcopalibus in iure ignoratur ab eoque exorbitat; quia odiosum est quidquid limitat Antistitum iurisdictionem; ita ut qui eumdem allegat probare debeat. *ibid.*

Consuetudo quoad Cultum divinum

Reprobantur consuetudines, quibus cultui divino vulnus inuritur, non vero illae quae nullum pariunt praeiudicium aut fidelium pietati, aut Ecclesiae decori. *pag.* 88.

Ex Caeremoniali omnes procedere debent sub unica Cruce in processionibus funerum; attamen ex iugi iurisprudentia Ecclesiae, lex eiusmodi modificatur per consuetudinem contrariam ab immemorabili inolitam. *ibid.*

Matrimonium

Ad adstruendam non consummationem matrimonii sufficiunt iuramentum coniugum, et testium depositiones, qui de religione iurantium deponant. *pag.* 543.

Matrimonium quoad domicilium

Domicilium liberorum, pro matrimoniis ineundis, censetur, ex lege, in eo loco, in quo paterfamilias lares habet. *pag.* 23.

Paterfamilias domicilium semel quaesitum haud amittit, etsi ex loco saepe discedat, etiam ad longum tempus, nisi discedat cum animo amplius non revertendi. *ib.*

Vagis accensendi sunt illi tantum, qui, relicto suo domicilio, incertis utuntur sedibus, quaerentes quo se conferant atque ubi consistant. *ibid.*

Quasi domicilium acquiritur eadem ratione, qua domicilium; nempe voluntate et animo; qua de re si quis aliquem petierit locum litis aut negotii expediendi gratia, quamvis, praeter opinionem, inibi manserit vel per annum, quasi domicilium eo non acquirit. *ibid.*

Haec est S. C. Congregationis iurisprudentia, videlicet, matrimonium valide inire non posse virum et mulierem discedentes a loco suae habitationis absque animo illam relinquendi, et etiam petant paroeciam animo tantum illic matrimonium ineundi. *pag.* 24.

Matrimonia ut validitate fruantur, celebranda sunt coram Parocho proprio, aut alio sacerdote de eius aut Episcopi delegatione. *pag.* 159.

Cum ex Tridentino matrimonia iniri debeant coram parocho proprio, seu coram parocho Ecclesiae, apud quam domicilium aut quasi domicilium quis retinet, necessario fluere videtur ius assistendi matrimoniis ligatum esse officio parochi, neque ab Ordinariis ipsis disiung posse. *pag.* 184.

Pacta.

Pacta sunt servanda; nihil enim tam fidei congruit humanae, quam ea quae placuerunt custodire *leg. non minorem Cod. de transact., l.1 ff. de pactis. pag.* 114.

Ut pacta obligent non est necessaria scriptura; nam pactum cum scriptura, et sine scriptura est eiusdem efficaciae *leg. pactum 17 Cod. de pactis. ibid.*

Tertiariae Franciscanae.

De iuribus et privilegiis Regularibus nedum participat Tertius Ordo saecularis virorum, sed etiam mulierum. Verum ad hoc obtinendum requiruntur nonnullae conditiones, quarum prima est canonica Tertii Ordinis saecularis erectio. *pag.* 630.

Unum ex his privilegiis est praecedentia utrique Tertio Ordini competens in processionibus funebribus eorum adscriptorum supra alias laicas Confraternitates: in casu autem hoc privilegium invocari non poterat, eo quod obstabat conventio inter P. Provincialem Reformatorum et Archiepiscopum Salernitanum, vi cuius Tertiariae Mulieres Franciscanae, loci Serino, in funeris associationibus feretrum et in processionibus ss. imagines sequi debebant. *ibid.*

IMPRIMATUR — Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Magister.
IMPRIMATUR — Franciscus Cassetta Patr. Antioch. Vicesg.

m
m
.
1

-
n
-
.

-
s
n
-
-
n